



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

I. Non nisi his qui aetatem habent & scientiam, ecclesiae sunt  
conferendae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

QVIBVS, ET QVANDO, PARS  
XXV.  
ET IN QVAM ÆTATEM CONFERATVR  
ecclesiasticum beneficium, & ad quem spectet eccle-  
siarum reparatio.

## CAP. I.

*Alexander III. Cantuariensi archiepiscopo.*

EX ratione commissæ tibi dignitatis, & consideratio-  
ne legationis ad vniuersas ecclesias, aciem tuæ soli-  
tudinis debes extendere: & quæ enormiter seu contra  
iustitiam fiunt, pastorali cura corrigere & emendare: qua-  
tenus de commissis ouibus in patrisfamilias præsentia ra- Matth. 25.  
tionem reddere valeas, & tibi pro labore & sollicitudine  
merces copiosa cumuletur in cælis. Accepimus autem  
quod Couentrensis episcopus, non attendens quid sacro-  
rum Canonum statuta decernant, nec modestiam ponti-  
ficalem conseruans: pueris qui sunt infra decennium con-  
stituti, in archidiaconatu dilecti filii nostri R. archidiacono  
Couentrensis, ecclesias plures concessit, quæ non per  
clericos, sed per laicos dispensantur & disponuntur. Vnde  
quoniam hoc ecclesiasticæ vnitati est inimicum & rationi  
contrarium, & non debet eatenus tolerari: fraternitati  
tuæ, &c. quatenus si res ita se habet, prædictum episco-  
pum super his dura increpatione corrigas & castiges, &  
clericis seu ministris idoneis \* custodiam præscriptarum  
ecclesiarum, donec prædicti pueri ad congruam perue-  
niant ætatem, omni occasione & appellatione cessante,  
laicis amotis, committas: & eidem episcopo arctius pro-  
hibeas, ne de cetero ecclesias nisi personis quæ ætatem &  
scientiam habeant, regendas concedat. Quod si secus fe-  
cerit, ei debitam pœnitentiam infligas, & institutionem &  
concessionem ipsius, omnino viribus carere decernas.

\* admi-  
nistratio-  
nem

## CAP. II.

*Idem Cantuariensi archiepiscopo, & eius suffraganeis.*

Indecorum est admodum & absurdum, vt hi debeant  
ecclesias regere, qui semetipsos regere non nouerunt, cum  
ad regimen ecclesiarum tales personæ sint admittendæ,

*Concil. Tom. 27.*

LIII ij